Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ Februarii.

M. DOMINICO DE FARCY, Doctore Medico, Præſide.

An Aſthmati humido Nicotiana?

UT perfectum quodque mixtum perſpirationis, ita mixtum omne vitæ particeps reſpirationis beneficio carere ἀδύνατον. Illius in illis author, certa ſubtilis materiæ quantitas; quâ intra ipſius pauciores pluresve meatus, anguſtiores, aut laxiores, per acceſſionem aëris diverſimodè agitatâ producitur ejuſdem ævum aut corripitur. Hujus in iſtis efficax inſtrumentum, aër, cujus energiæ ſpirabilium partium paſſivarum in ſtirpibus, harumque ſimul & activarum in plæriſque ſenſu præditis accommodata ſtructura famulatur. aër nimirum, à nitroſis quibus veroſimillimè gravidus eſt particulis intima quæque pervadere habens peculiari; à quo donatur craſſitiem inter ac tenuitatem conſiſtentiæ modo premere nonnulla, tandem ab inſitâ ſibi elaſticâ virtute ſingulari plurimum reſilire. ubi plantarum trachæas, piſcium branchias, quadrupedum, volucrum, hominiſque pulmones ſubit, muſculorum diaphragmatis thoraciſque motum ſecutos; parietes cellularum, in quibus hoſpitabatur aër ante ingreſſus, eodem vapeſcere velut incipiente ſubſidentes, extendit, implet, finitima vaſa non modò, verum & diſſitiſſimas quaſque propagines fortiſſimè comprimit, ducto à branchiis & pulmonibus opificii iſtius exordio. Contentus igitur ductuum omnium ac ſingulorum capacitate ſuccus alibilis crebro, aëris ei ſubinde ſe commiſcentis ictu minutè diviſus, tenuiſſimè pinſitus ritéque ſubactus fluidam σύςασιν aſſequitur; incolumem tamdiu permanſuram quamdiu reſilientes particulas aliquot ipſi largietur aër, quarum tremulâ pariter atque reciprocâ motione ſanguis continuo ſollicitatus elutriabitur. Quæris quid elaſticam aëris virtutem ſartam ſervet? corporum vaſis incumbentium pondus, inæqualitas, figura? momenta ſane ſunt iſthæc ſed infirmiora multò. Potentia movens ſpiritus eſt, unâ cum nerveo latice diffuſus, à cerebro ſpinalique medullâ impetu mere naturali, per nervos in pulmonum bronchia ſe ſe ſpargentes, indeque ad nervos diaphragmatis muſculoſque thoracis ocyſſimè raptus. Inferas ea propter oportere ut machinatio reſpirationis, à ſpiritu pendens & aëre, vitium aliquod ſemper faciat, ruinamve omnem; quoties, ille à quo primus inſtinctus eſt, hic, ad quem inſtinctûs executio pertinet, ſuo viciſſim officio defuturi ſunt, reliquo ſpirabilium organorum apparatu feriaturo deinceps aut diſſolvendo.

ASTHMATIS igitur expreſſam percepturus eſt idæam, quiſquis cogitare voluerit negato aëri ad pulmones aditu, impeditâ ejuſdem per pulmones reciprocatione animam, interdum cum ſtertore, duci difficulter, & ſine febri. Sic ubi ſpiritus animalis è cerebro, per octavi paris, è ſpinali medullâ per dorſi lumborumque nervos ad motrices fibras ſpirabilium ordinis utriuſque organorum derivandus ipſo in fonte ſiſtitur, quod apoplecticis; intercipitur viarum tractu, quod hyſtericis; tetri laticis appulſu inficitur, quod ſcorbuticis accidit; otiatur univerſus villorum ejuſmodi nervorumque apparatus, quem nullus, imbecilliuſve cietur, quem iners δημιυργὸς urgebit; adeoque vel aditus omnis præcludetur ad pulmonis bronchia, vel qui liberam ad reſpirationem haud ſatis erit, concedetur exiguus. Sic ubi craſſus eſt nimium uduſque aër, jacturam virtutis quâ donatur elaſticæ non mediocrem paſſus, cruori juxta circuitûs æquabilis leges agendo ſtrenuè inſtare nequit; ubi levis ac juſto tenuior & ſanguinem impellit in præceps, & everrendas è pulmone fuligines inefficaciſſimè purgat; ubi demum aurâ maligniore conſpurcatur, ſalium quibus imbutus eſt, acrium ſolventiumque, vel acidorum coagulantiumque malitiâ cruoris molem pernicioſiùs affligit, exundaturis inde ſero pulmonibus, aut importunâ ſtagnantis cruoris ſarcinâ gravandis. Humidi jam ſiccique, quod aiunt, Aſthmatis ætiologiam inſtituturus quiſque colligat, humidum quidem oriundum eſſe à ceſſuro in pulmonis ipſius alimoniam humore vitiato, quem mucus iners acidumve nequam iniquiori permixtione compegerint, unde fortaſſis crudum tuber, à cruore intra pulmonis vaſa commeaturo, illicque facto reſide, quoniam eodem affluxit uberiùs, ibidemve fermenteſcit impenſiùs, unde pulmonis abſceſſus, ejuſdem vomica, pſeudopolypus, à ſero è vicinis majoribuſque vaſis ἀθρόως in pulmones, irruenti, unde pectoris hydrops. Siccum autem Aſthma oriri putet à pravâ conformatione pulmonum congenitâ vel poſtgenitâ: cujus ergo minus liberum redditur præter illos alibilis ſucci commercium, atque adeo pars proprio fruſtrata penu corrugataque contabeſcit in dies; à convulſione nervorum muſculorumque ſuam reſpirationi navantium operam, imò & à ſemicircularium quæ per pulmones innumeræ diffunduntur fibrarum contractione, alternum veſicularum ejus, hiaturarum & premendarum opus interturbaturâ. Cæteras Aſthmatis differentias inquirenti obvium fiet aſſiduum illud eſſe, cujus cauſa conſtans, proprium ſcilicet partis vitium, humor eidem altiùs & dudum impactus. Periodicum, cujus materia quaſi ſepulta reviviſcit, aliunde nimirum in partem advecta, congeſta per vices, flatus. Illa ſi fermenteſcendo proſiliens è vaſis, nervea quædam è ſpirabilibus organis ſuo pupugerit aculeò Aſthmatis convulſivi parens habetur.

DISTINCTIO cauſarum Aſthmatis perobſcura ſanè; prognoſis admodum anceps, curatio ſpei raro alicujus. Ut qui ægrotantem à crebris, vehementibus aut diuturnis acceſſionibus incolumem præſtat, is & affectionis Aſthmaticæ ſoſpitalis ut plurimum habeatur, cujus cauſam fortè non oppugnaverit, nedum expugnaverit ille, utpote vel minus cognitam ſibi, vel arte nullâ ſuperabilem. Ita dum urgente ſtrangulationis metu, ſanguine confeſtim minuitur Æger, periculum quidem prudentiſſimè cavetur. At nocendi materia ſubſtrahitur non ſemper. Quiſquis τεχνικῷ ϛοχασμῷ diſcriminatam hanc, judicatamque curationi opportunam venæ ſectione, vomitum cientibus catharticiſve disjicit, vel attenuantium incidentiumque benigniorum ope diſpeſcitam reducit ad profluentem, vel abſumptam hydroticorum uſu funditùs arefacit, hic appoſitè medetur ad ſanandum Aſthma. Verum quoties aſſequendo huicce propoſito ſapientiſſimè diffidentibus bene contigit rationes alias comminiſci, quibus Aſthmaticos à paroxyſmorum recurſu per ſublatam ſymptomatis cauſam liberaverint. Tantis par virtutibus æſtimanda Nicotiana, penes virum ejus in adminiſtratione tam cautum, quam in Aſthmatis ſpecie cui convenit, internoſcendâ perſpicacem; ſive integra tritaque in pulverem naribus excipiatur, ſive fruſtulum ipſius contineatur ore, dentibus mandendum, ſeu fumus hauriatur è fiſtulis. Folium hoc in Braſilienſi Peruvianâque regionibus Americæ creſcens uberius, in Floridâ præſtantius, nautis primo tum militibus ac lixis familiare forſan & mendicis, hoc quo vivimus ſæculo, viris & mulieribus, aulicis & plebeïs, oppidanis & ruſticis promptum in manu mercimonium, cujus in gratiam officinæ publicæ quotidie recluduntur, gravia penduntur vectigalia, cui quiſquis aſſuevit tot capitur illecebris, ejus ut ab uſu nunquam reſiliat aut fere nunquam, ſale ſulphureque perniciſſimis conſtat, iſtorum principiorum altero promente primam ſingularium nicotianæ virium ἔκλαμψιν, altero ejuſdem energeias opifice potiſſimo. Hujus nimirum eſt, à nativo calore protinus excitati, explicare ſeſe latius, atque adeo ſalinis quæ junctæ prius quodammodo erant, particulis copiam facere, quô prorumpant, iiſdem adminiculum præbere neceſſarium, quo ferantur in ſublime. Illius eſt excuſſi ſemel atque à ſulphure ſoluti, ſubjectas corporis partes fodere acriter, quarum quotquot ſenſu donantur exquiſito, villoſarum quibus circum veſtiuntur membranarum elatere, contractæ ab importunâ ſuccorum ſarcinâ ſeſe feliciter expediunt.

PONAMUS enimvero quempiam Aſthmaticum fuiſſe factum, quoniam fodinis opificiniſve metallicis addictus, aut uliginoſorum incola locorum, traxerit unâ cum aëre vapores, quorum atrati fuligine ſpiritus, micare ſpiſſitudine diſtenti, volare pro more ſuo nequeant ad motrices ſpirabilium organorum fibras, cruore quem ventilationis inopiâ tunc affligit, craſſeſcente ſupra modum, acto ſegniùs atque per moram quam nectit intra pulmones, veluti per quoddam ſufflamen, aëris reciprocationem interturbaturo. Huic levamen profecto nullum aderit efficacius, quam à Nicotianâ. Fumum è tubulis ducito ille, ſtimulatos illicô percipiet plurimos qui glandulas maxillis appoſitas ambiunt pervaduntve ſalivæ canales, quorum ex oſcillis poſt repetitam contractionem funiculorum quibus ejuſcemodi glandulæ inſtruuntur, ingentem ſtupebit evomi ſalivæ copiam, donec per ſucceſſivam hancce vellicationem ad pulmones uſque continuatam, viſcosâ perſentiat illos expediri pituitâ; deſideratam & ſanguini & aëris procurari libertatem. Neque minus opportunè factum iri putaveris à Peti uſu, dum quis hauſto peſtilentibus in conſtitutionibus aëre corpuſculis rodentibus perſperſo, ſalibus gravido fermenteſcentibus maritimas ad oras, rariori texturâ donato editioribus in locis, Aſthmate conflictabitur. Spiritibus enim qui debitâ cruoris craſi contineri ſolent, hac eâdem per irrequietos ſales utcunque ſolutâ, protinus evanidis, portio ſanguinis altera planè ſubſiſtit, orba nempe motoribus, in ſerum diffluit altera tota; utraque pulmonibus incommodum importat, onere, prior alluvie poſterior, adeoque difficilem reddit anhelitum. Tabaco igitur in nares immiſſo ſtimulanda membrana varios conveſtiens intimoſque receſſus naſi & oſſium quibus ſextruitur, ut primum contrahetur iſthæc, conſtringentur & papillæ glandularum quibus intertexta eſt, exprimetur ex his mucus, quo quidem expurgato ſeroſos latices motum eundem ſecutos, è vaſis glandularum tum vicinis tum diſſitioribus evocari videas; portionem cruoris in pulmonibus antea ſtagnantem, novorum acceſſione ſpirituum ventilari, fluidioriſque ſyſtaſeos poſtliminio recreatam revehi ad communes liquorum alveos, redhibitâ demum facilitate ſpirandi quam vetus Aſthma uſucepiſſe videbatur. Sed & quotquot ſerum in cerebri ſinubus luxurians, ubertimque deponendum in pulmones Aſthmati facturum eſt obnoxios præſtabilius ſervat nihi, folio Nicotianæ ore contento dentibuſque manſo, quod fodiens acriuſculè reſeranſque per vices oſtiola vaſorum, quæ ſecundum utriuſque partis hujus intercapedinem excurrunt, latices aliò derivat; ſic ſua cerebro libertas aſſeritur, & à ruiturorum humorum impetu pulmo præbetur immunis.

VERUM an quo tempore paroxyſmus ægrotantem anguſtius urgebit, aëraque novum ſollicitius avebit ille, cujus elaſticâ vi cruor exlex, ſub ſpirituum auſpiciis emendetur, an tempeſtivus erit Nicotianæ uſus? Ita ſanè, modo venæ ſectio præmiſſa fuerit, iteranda quoque pro viri prudentis arbitrio: ſic quippe fiet ut ad vomitum compellatur æger acceſſionem multò maturius finiturum. Cave propterea confidentiùs auſcultes monitis aliquorum è veteribus, apud quos inconſideratiſſimæ temeritatis habetur vomitorium in tam lubrico rerum concurſu præſcribere, arbitratos hoc præſidio nihil quidquam detractum iri de Aſthmatis causâ, quin & materiam impenſius à medicamento agitatam effrænatè in pulmones ipſos effuſum iri, adducendo in præſentiſſimum præfocationis diſcrimen Aſthmatico. Quaſi vero humor Aſthmatis noſtri parens, etſi plerumque cominùs in pulmones ſeſe inferat, eminùs tamen è ventriculo, inteſtinis, jecinore in quibus alimenta, lympha cruorque depravantur, cerebro quod ſero circumfluit, eò frequentiſſimè non illabatur. At cuique perſuaſiſſimum eſt illaudabiles ſuccos per vomitum è ventriculo quidem primum exigi, dein è reliquis corporis partibus. Quaſi vero magis verendum fuerit Aſthmatico quam apoplectico, cui vomitus in ipſo ſymptomatis inſultu valido medicamine cietur, apoplectico, cujus pulmonibus ſero clam è crebro ſtillante mox ſaturis, hoc propius ſtrangulationis periculum impendet, quod egerendo iſti diluvio prorſus impares eos eſſe conſtat, otiantibus & foris & intro, vel fatiſcentibus admodum ſpirabilibus ordinis utriuſque inſtrumentis, à prohibitâ vel imminutâ ſpirituum Epirrhoë. Quanquam unum hoc idemque remedium altero potis eſt ægrotantem commodo beare, dum purgationis locum tenens, dejectis per ſeceſſum ſuccis degeneribus, arteriarum ſic deplebit venarumque genus omne, vaſis ut pulmonum hoc egeſtu per vices exinanitis, Aſthmatica multum inde circumcidatur acceſſio. Sic medicinâ quæ fit ægro cum paroſyxmus ipſum animâ propemodum intercludit, eidem factâ, perſeveranter, ubi fruitur mitioribus intervallis, convaleſcit ipſe, modo ſeipſum cautæ vivendi normæ, perpetuo, accommodatæ catharſi ſubinde permiſerit.

Ergo Aſthmati humido Nicotiana.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Urbanus Leaulté.
M. Michaël Pichonnat.
M. Franciſcus Picoté de Beleſtre.
M. Nicolaus Bailly.
M. Joannes Daval.
M. Claudius Quiquebeuf.
M. Bertinus Simon Dieuxivoye.
M. Joannes Boudin, ſereniſſimæ Duciſſæ Burgundiæ Medicus ordinarius, & Facultatis Decanus.
M. Guillelmus Petit antiquior Scholæ Magiſter, & ſereniſſimi Delphini primarius Medicus.

Proponebat Pariſiis RAYMUNDUS JACOB FINOT, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. MDCC.